



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Principibvs Alamanniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

quod ad purgandam & famam & conscientiam redundabit. Vnde non permittatis vos aliquo modo seduci sub specie pietatis ab iis qui non communem sed specialem utilitatem inquirunt; quoniam ad hoc principaliter debet Principis electio procurari, non ut provideatur certa personæ, sed ut reipublicæ consulatur, quod utique fieri non potest, nisi persona Principis provida sit & iusta, strenua & honesta. Ut autem de nostro beneplacito & consilio reddamini certiores, dilectum filium Ægidiū Acolythum nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, de cuius plenè fidelitate confidimus, ad vos duximus destinandum, cui in iis quæ vobis ex parte nostra proponet indubitata fide credatis. Quia verò per falsarios multa solent sæpius obtineri, si forsitan, quod non credimus, aliqua litteræ contra tenorem præsentium ante datam istarum quasi à nobis apparuerint impetratæ, ipsas noveritis esse falsas. Datum Laterani.

MAGVNTINO ARCHIEPISCOPO,  
Episcopo Sabinensi.

Epist. 22.

Sicut frequenter tibi proposuimus viva voce, non est qui post Romanum Pontificem vel in Ecclesia Romana vel in imperio Romano tantum locum obtineat quantum obtines in utroque. Vnde te oportet sollicitè vigilare ut iuxta quod de tua fraternitate confidimus, & honorem imperij cum Ecclesiæ exaltatione procuret, & augmentum Ecclesiæ cum imperij promoveas incremento; quatenus per tuæ sollicitudinis studium inter Ecclesiam & imperium pax perpetua conservetur. Miramur autem non modicum quòd cum publicè nobis coram fratribus promiseris viva voce quòd nihil priùs finaliter de imperij ordinatione tractares quàm per litteras & nuntios tuos nostræ consules beneplacitum voluntatis, nuper in colloquio quod fuit inter Andernacum & Confluentiam te procurante, sicut pro certo didicimus, celebratum aliquid diceris quasi finaliter tractavisse, cum facta compromissione in quosdam Principes tam ecclesiasticos quàm etiam seculares, quod illi decreverint in colloquio quod in proximo est conductum ab universis debeat observari. Quia verò nec litteras nec nuntios super hoc, licet expectassemus non modicum, à tua fraternitate recepimus, ne videremur meritò negligentes si propositum nostrum antequam prædictum colloquium celebraretur non exprimeremus Principibus, dilectum filium Ægidiū Acolythum nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, ad te principaliter & ad alios Principes destinamus, per ipsum & litteras quas dirigimus Principibus universis intentionis nostræ beneplacitum & salubre consilium, sicut ex eis colligere poteris, apertius innuentes. Rogamus igitur fraternitatem tuam, monentes attentius & exhortantes in Domino, & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cum plenè intentionem nostram, cum adhuc præsens apud nos existeres, intellexeris, taliter annuas votis nostris, taliter in hoc negotio te habere procuret ut contra communem utilitatem tam

Ecclesiæ quàm imperij nihil penitus attentetur. Ad hæc, prædictum Acolythum nostrum benigne recipias, & ea quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda & sine dubitatione credas & studeas efficaciter adimplere; ut zelus quem in juventute tua circa honorem Ecclesiæ prædecessorum nostrorum temporibus habuisti, diebus etiam nostris in tua senectute proficiat in effectum; & qui pro illa hætenus legitime certavisti, cursum studeas tui certaminis laudabiliter consummare; ut securè cum Apostolo clames: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; ideoque reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Datum Laterani.

NOBILI VIRO DVCI BRABANTIAE  
& uxori eius.

AD nostram noveritis audentiam pervenisse quòd quidam genealogiam vestram à longè calculantes, dilectam in Christo filiam nostram nobilem mulierem [Mariam] filiam vestram carissimo in Christo filio nostro Ottoni filio quondam illustri memorix [Henrici] Ducis Saxonix sponso suo electo & coronato in Regem affinitatis linea ultra quartum gradum, quod vos non recognoscitis, mussitant pertinere, licet matrimonium ipsum nullus accuset. Ut autem conscientia vestra non tam purgetur quàm consolidetur, fuit postulatam à nobis ut super hoc dignaremur misericorditer dispensare. Si ergo res ita se habet, securè, propter multam & magnam utilitatem quæ de ipso matrimonio proventura speratur, ad consummationem ipsius cum divini nominis reverentia procedatis. Datum Laterani.

PRINCIPIBUS ALAMANNIÆ.

UT ij qui super provisione imperij, quam fore laudabilem in omnibus affectamus, nostris monitis salubribus acquiescent, apostolica sedis patrocinio specialius foveantur, præsentibus litteris duximus intimandum quòd omnes qui cum eo qui assumptus in Principem, nostram obtinuerit gratiam & favorem, compositionem inierint, super possessionibus, dignitatibus, & honoribus dante Domino manutene curabimus & fovere, facientes eam auctoritate apostolica inviolabiliter observari, ceteris nihilominus secundum officij nostri debitum apostolicæ sedis gratiam impensuri. Datum Laterani.

EPISCOPO OSTIENSI  
apostolica sedis Legato.

UT carissimos in Christo filios nostros Philippum Francorum & Iohannem Anglorum Reges illustres ad apostolicæ sedis obsequium plenius inducere valeas & in eius devotione firmius solidare, præsentium tibi auctoritate concedimus, per apostolica scripta mandantes quatenus si qua forsitan inter se vel cum aliis obligatione tenentur illicita, eam securè dissolvas, cum secundum Prophetam dissolvere debeamus colligationes impietatis & fasciculos deprimentes. Illam enim colligationem censemus illicitam quæ regix devotionis obsequium

Epist. 23.  
Vide infra  
epist. 65.

Epist. 24.

Epist. 25.